

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0824

0822

0828

0818

0833

0813

0873

0773

0923

0723

0323

Ende

Anfang

251

in vetustum quoddam castellum transfugerunt et obturatis rupturis antiqui muri praesidium fecerunt, Turci autem moliebantur capere praesidium, sed non potuerunt, et duobus continuis diebus et noctibus insultum faciebant; porro die tertia proclamata ad horam pace ad resumendum vires nostri petierunt a Turcis, ut ad eos venirent eorum capitanei et rectores ad tractandam concordiam. Ingressi ergo sunt potentissimi eorum VI viri turci ad nostros, et nostri recluso ostio longum habuerunt simul colloquium et diversissimos Turcos invenerunt. Nam episcopi nostri omnia sua eis dare pollicebantur et multa plura promiserunt, tantum ut salva vita remeare possent, sed nulla fuit pietas, nec aliud volebant nisi mortem et extremum servitium illorum dominorum. Interea, videntes nostri extremum suum periculum, emisere occulte famulos, quibus nota erat regio, ut ad Ammirandum et Capitaneum de Rama currerent et ut pecunias multas promitterent, quae quantocius paganis istis numerarentur. Emissis autem nuntiis petebant nostri ab illis barbaris veniam et promittebant pecunias, illi autem non nisi eorum personas habere volebant, vel ad mortem, vel ad vilia mancipia, nec aliud poterant habere responsum. Verum nostri ex desperatione exacerbati insurrexerunt contra Sarracenos ad se ingressos, eosque in vincula conjecerunt. Hoc audito exercitus moliebatur destruere murum et missilibus, jaculis ac machinis invalidare, nostri autem in periculosioribus locis eorum potentes et capitaneos ligatos apposuerunt (**B**) super murum sicque insultum mitigarunt. Invocato autem Deo creberrimis orationibus, ecce, adjutorium advenit. Nam Ammirandus de Rama, Sarracenus, collectis copiis Sarracenorum ad locum venit et Turcos fugavit de obsidione, quos nostri de praesidio erumpentes insecuti, spoliis direptis et multis captis, patibulis suspenderunt. Postea etiam captos capitaneos diris cruciatibus percusserunt. Haec autem liberatio episcoporum facta fuit in vigilia paschae, sabbato sancto. Decreverant etiam in exitu eorum de Alemania, quod in locis sanctis in Jerusalem vellent esse per dies passionis Domini et resurrectionis, sed obsidio ista intervenit. Igitur praedictus Sarracenus peregrinos illos salvos perduxit in Jerusalem et remuneratus ab eis ad propria rediit.